



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 73. Comes Camerensis Sabaudiaë Gubernator jussu Regis captus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1481.

Groleeluyus

Et a Gubernatrice administratorem nominabat, Ducemque puerum Groleeluyum instituendum tradebat. Porro Rex que rebus aures præbens, secretis literis Genevensi Episcopo Ducis Patruo in mandatis dedit, ut regni administrationem ipse in se suscipere, Groleeluyus vero juvenem Principem in Delphinatum conducere. Verum Camerensis rem edoctus, Ducem detinuit, ac in Sabaudia permanere compellit, ab eoque facultatem petiit, ut Groleeluyum comprehendere posset, qua impetrata illum ad oppidum S. Joannis in Mauriana misit, custodiæ dandum: postea habito militum delectu, copias in Pedemontium adversus Genevensem Episcopum duxit, Delectore Miolano, qui Vercellam obsidione cinxit. Præerat urbi Raconisius Dynastus, cujus plurimum intererat, ut hanc civitatem strenue propugnaret, eo quod illam jure pignoris ob quamdam pecuniæ summam Duci mutuo datam teneret.

§. LXXIII.

*Comes Camerensis Sabaudicæ Gubernator jussu Regis captus.*

Ludovicus ob Comitum audaciam iracundus, clam cum Bressiæ Comite Episcopi Genevensis fratre confilia contulit, eique jus auctoritatemque concessit.



cessit, ut Camerensem comprehendi ju-  
beret: ut vero Rex eo tutius animi sui  
propositum occultaret, hinc se impotenti  
indignationis impetu in Bressiæ Comitem  
excaudescere simulabat, obtentu inde  
quæsito, quod ipse non quidem propriæ  
voluntatis motu, sed potius Camerensis  
metu adactus, copiis adversus Geneven-  
sem Episcopum conscriptis sese adjun-  
xisset; Interea vero Bressiensis, cujus  
fides in Sabaudia Procerum nemini su-  
specta erat, quosdam aulæ Ministros sibi  
devinciebat, atque inter ceteros præci-  
pue Thomam de Salutiis, qui Taurinum  
veniens sibi Ducis conclave, in quo Ca-  
merensis decumbebat, aperiri jussit, ac  
Comitem ex Regis mandato quantocius  
comprehendi, & a quindecim circiter fa-  
tellitibus custoditum carceri mandari  
præcepit.

## §. LXXIV.

*Maximilianus pacem cum Ludovico XI.  
inire detrectans.*

Cum interea Comminæus secundis a-  
deo votis in Sabaudia Ducis Pro-  
vincia concredito sibi negotio defunge-  
retur, Ludovicus XI. ad oppidum S.  
Claudii in Comitatu Burgundiæ situm  
proficiscitur, ut votum pro sua salute  
nuncupatum ibidem exsolveret. Iter  
non

Sæcul. XV.  
A.C. 1481.